DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXVII.

M. AMBROSIO HOSTY, Doctore Medico, Præside.

An sicùt ad morum integritatem, ità ad sanitatem conservandam consuetudinum abusus noxius.

I.

USU diuturno obtinentem, ab omni ævo servatum, sed nostris hisce temporibus fortè nimis vulgarem, & eò magis à naturâ aberrantem rerum ordinem examini subjicere & attento animo perpendere intendimus. Ardua molimur Philosophis prætervisa, Medicis minimè tentata. Ecquis enim consuetudinum abusû sanitatem affici & immutari, quin imò magnam indè oriri morborum sobolem suspicatus est unquàm? Hominum mores consuetudinibus immutari jamdudùm probavere Philosophi. Sed cum ab inducto sensim hominibus vivendi more qui innumerabilibus sanè circumstantiis fortuitis vel necessariis ortum debet, plura bona quam mala in humanam gentem redundare cogitaverint plerique, res omnes in eodem statû permansere, & longiora tantùm post intervalla accessere mutationes. Hinc in omnibus Nationibus Domitor, victricis aut victæ nationis mores unâ die magis immutavit, diversorum Terræ tractuum Incolas simùl conferendo, quàm per sæcula sermonibus & exemplis obnitentes Philosophi eosdem immutare potuerunt. Sicùt in Physicis *Aristoteles*, *Plinius*, *Carthesius* & *Neutonus* non nisi paulatim sua principia excipi ab aliis viderunt, ità in morali Philosophiâ societatum Conditores & Legum vi orbatos Reformatores (*a*) parùm profecisse à nemine ignoratur. Prædictis exemplis inducti nos utroque Medici ac Philosophi munere fungi non conabimur, diversos in variis Terræ tractibus considerando hominum mores, illorumque à primâ suâ origine recessum, tametsi consideratio illa nostram probaret Thesim. Plusquàm satis etiàm mentem premit rei difficultas dùm solam animi pathematum contagiosam propagationem & ex illâ fluentem valetudinis noxam quærimus. Morborum enim fontes seù contagia nova si quæris, affectiones animi respice. His mediantibus Pandora omne ferè malorum genus per orbem disseminavit. Tetros Pixidis atræ halitus finge iram, mærorem, odium, lætitiam, metum, & etiàm ex omnibus cui tot quotidiè sacrantur Altaria, compositum amorem. Sive enim juxtà *Epicureorum*, *Stoicorum*, *Carthesianorum*, aut Recentiorum calculum (*b*), animi affectus primarios, aut derivatos considerare intendas, semper summæ felicitati adversos illos invenies. Ubicunque habentur tanquàm calamitatum Naturæ consectarii effectus quos à suo lapsû primi experti sunt Parentes. Cum etiam illos lugeant historica omnia tot retro-sæculorum

(*a*) Platonem, Catonem, Thom. Morum nominasse sufficiat.

(*b*) Qui quidem primo intuitu diversus, idem tamen est. Conf. Joan. Junkeri conspect. Hygieines vol. 1. tab. VI. pag. 513. & seq.

monumenta, cave ne de numeroso catalogo excipias ipsammet inalterabilem voluptatem fatis omnibus & rebus necessariis resistentem quam tamdiù celebravit Philosophorum familia. Sed Stoïca illa virtus in passionem facilè abitura si gradus gradibus addantur, paucis hodiè reservatur; paucioribus si vaticinari fas est, impostèrùm reservanda; fictitium quid & nativo hominis statui oppositum dicere malim (c). Idem affirmabis de moderato aliarum passionum usu, quæ magis à statu naturali recedere videntur quam prælaudata voluptas. Sed cùm illa semèl excitata juxtos intrà limites vix possit coerceri, quid de aliis affirmandum erit? Juvat illas omnes seorsim considerare eorumque contagiosos effectus ratione & experientiâ duce perpendere, posteàque patebit quomodò sicùt morum integritati, ità sanitati possint officere. Exempla suppeditabunt naturæ rerum ordo & diversi hominum cætus, vulgatiora tamèn (hæc enim aliis præfert simplex ipsamet natura) & queis alia multa ex proprio fonte faciliùs addere quisque poterit, Etenim,

> *Ex noto fictum carmen sequar: ut sibi quivis*
> *Speret idem* (d).

II.

RECTUM animi pathematum usum inter restituendæ sanitatis auxilia, pravum ipsarum regimen inter lapsûs causas posuere ab omni ævo salutaris Artis Magistri, etiam diversarum Regionum Autores (e). Acuto morbo laboranti, morbum ipsum celare, spem dare, metum avertere satagunt Medici & Adstantes. Terrorem ægri animo incussum repellere, animam blanditie, lenocinio, iteratis auxiliis, simulatâ facie, à sensû terroris intimo liberare conantur, illamque ipsi sibi commendare non audent. In Chronicis morbis, eadem in usum vocant, & Ludorum, Gymnastices, Voluptatum omne licitum genus instituunt. Ira, odium, furor, metû, tristitiâ, aliisque hujusce speciei affectibus difficiliùs compescuntur, nisi ad extremum gradum devenerint. Illis crescit audacia quæ nullum unquàm novit remedium quandò vim vi repellere non potis fuit. Qui ex omnibus aliis exurgit Amor, vix morte deletur. Illâ enim instante adhucdùm palpitat cor modo prorsùs à solito more recedente (f). Primùm à spe originem ducit; huic accedunt metus, tristitia, gaudium, ira, odiùm, furor seù passiones vix unquàm domabiles (g). Hinc quam parùm huc-usque in usum vocatis auxiliis valeat Medicina, in procinctu erit. Cum enim ab arte oratoriâ magis pendeat curatio quam à Physicis auxiliis, ut omnibus pro certo habetur, desperant Medici, miserescunt Adstantes, propriæ tandem sorti ultrò commendatur infelicissimus æger. Quamdiù anima sui compos in acutis, malis quibus corpus percellitus, sentit; parùm proficiunt auxilia passionibus dicata, incusius perdurat timor, nec facilè restituitur ægri fiducia tantoperè ab adstantibus desiderata. Quamdiù durant in chronicis ipsæmet passiones, nullus datur curandi modus. Illarum equidem causas vel effectus quæris in Physicis, ut aiunt, dispositionibus, undè pejora physica vincla à spiritualibus disjungere tibi mens est. Huc-usque, fateor, progressa est ars salutaris, & fausto quandoque cum eventu adhibita sunt prædicta auxilia. Sed quià non nisi vi multiplici & iteratis conatibus, ad scopum pervenere Medici, ubicumque perquirendorum auxiliorum difficultas ipsos unâ plus vice perterruit, & ideò talibus morbis curandis vulgò mederi refugiunt. Et sanè non mirum! Minùs enim, hoc agendi modo, publicæ quam privatæ sanitati prospicere videntur, aut si verum dicendum, utriusque nulli favent. Solus nec prodest nec sufficit in casibus prædictis Medicus, huic addi debent & Adstantes & Externa (h). Sed cum sint commu-

(c) Conf. M. de la Bruyere, Caractères de Theoph. t. 2. pag. 2. A Amsterd. in-12. 1747.

(d) Q. Horatii Flac. ars Poet. Carm. 140.

(e) Res omnibus nota est. Non possum tamèn non mirari & in medium exempli loco afferre *sinensem* quemdam autorem qui iisdem rationibus ductus quas *Cornarus* quondam apud *Italos* declaravit, prostantiss. hygieines tractatum edidit quem reperies ad finem specim. Med. *Sinica* R. P. *Duhalde*: Ille tametsi Medicus non esset, permulta de diætâ & præsertim de animi pathematibus sanè laudanda scripsit & *Cornari* Edictis anteponenda.

(f) Conf. Eroticarum Historiar. scriptores infrà citand. paragrapho 3. not. a. b. c. d.

(g) Conf. Eosd. ibid.

(h) Hip. Aph. 1. Sect. 1.

ricativæ passiones, contagiosas potiùs dicam, ab ægro liberiùs in adstantes transeunt, vibrationum instar quæ à fidibus aliis ad alias communicantur. Ad libellam enim componuntur seu fiunt unisonæ, quandò libera est illarum actio & in cubiculo clauso includuntur prædicta instrumenta. Hinc ægro assistentes, diutiùs durante morbo, eisdem tentantur passionibus quas curare intendebant nimis, vitare verò parùm. Tales videbis in omni ferè Cœtu ægros gradibus tantùm aliquot à prædicto ægro discrepantes aut diversos, dùm alios omninò contrariam sibi eligere aut inire sortem quæ nihilominùs in vitia degenerat, itidem reperies. Nos verò ægrotationis nomine sæpe uti non mireris, quamvis, stoïcorum more pathemata omnia tamquàm simpliciter mala (*h*) non declaremus. Ægros (*i*) enim vocare sanè licitum est qui propensionem aliquam habent juxtos limites aut non obtinentem aut superantem. Sunt enim termini rerum, quos ultrà nequit consistere Rectum quod pro Obliqui regulâ à sapientioribus consideratur.

I I I.

METUENS metum tibi incutit, Irascens iram, Tristis mærorem. A primo odii impetû quis præcordia defendere valet, ubi in furorem ab odio pronatum adigitur ille cui opem ferre intendimus. Spe, metu, irâ percelluntur amici præcordia quandò successivè in ægri facie pingi videt & vagari illa pathemata. Hinc dùm auxilia aliorum morbis accommodata quærimus, morborum participes sensim & inadvertentes fieri cogimur. Sic diutiùs durante morbo, tota familia, adstantes, amici tandèm eodem morbo conflictantur, aut affini alio. Nec ipsiusmet ægri sanitati visitationum sedulitate prospicimus. Plerumque enim unicum habet finem animi Pathema quo tentatur. In solitudine solatium quærit desperatus æger. Frustrà ipsi plurima offeres, cum nulla sint quæ doloris objecto æquiparari possint. Ubique infelices nùnc sponte suâ nùnc invitè quærit, qui doloris proprii acerbitate lenocinium aliquod afferre possint. Tu verò, amice, si ad eundem doloris gradum attingere non vales, eodemque percelli, malum exasperabis. Antiochi exemplum subjecto & circumstantiis percelebre, mente repone. Non nisi promissâ Stratonice ipse unquàm potuit melancholiam abigere, nec quæ numquàm ipsi defuerunt numerosa auxilia, morbo mederi potuerunt, quin imò nec parumper quidem animum sublevare (*a*). Cuncta vide à Galeno (*b*), struthio Posnaniensi (*c*), millenisque Eroticarum hostoriarum scriptoribus (*d*) citata exempla. Sed quandoquidem melancholia à variis causis oriunda, tristitiæ, mæroris, metûs, etiàm pudoris nimii ferè semper individua comes, usitatior est aliis affectibus in hocce orbe reperiundis, ipsammet in exemplum vix allatam persequamur (*e*). Tristes quandoque eventus pluries nos docuere hanc ità esse communicativam ut sensim & sine sensû melancholicus evadat melancholici amicus. Talem paucis ab-hinc annis casum accidere vidimus in cel. causarum Patrono qui, 18 mensium spatio, sensim melancholicus ità evadebat, ut nisi consilio inductus & precibus famuli ipsiusmet qui talem immutationem in dies crescere mirabatur, cuidam suo Convictori valedixisset, brevi in hypocundriacum affectum incidisset. Sed advertente animo & talis immutationis sublatâ causa, ad pristinam jocositatem iterùm redibat. Aliquot diebus durat carioris marito sponsæ morbus acutus, sensim convalescit ægrota; ecce Maritus consilium à Medico petit, se stomachi fastidio laborare

(*h*) Conf. Joan. Junck. Consp. Hygiein. vol. 1. tab. 6. pag. 514.

(*i*) Levior fortè habebitur error si attendatur Priscos omnes à Galeno ad fernelium usque animi pathemata rebus præternaturalibus annumeravisse. Sed cùm non hic agatur de terminis, quamvis fernelii sententiam non improbemus, non valdè diversa res erit si valetudinarii aut ægri nomine, utamur.

(*a*) Conf. D. *le Clerc*, Hist. de la Med. 2. part. liv. 1. chap. 2. pag. 294.

(*b*) Lib. de Prognost. ad *Posthum*.

(*c*) Lib. de arte sphygm. Bazileæ 1602. in-8. 2. edit.

(*d*) Conf. Georg. *Horstii* Med. D. Dissert 3. de naturâ amoris Marpurgi 1627. & *Bilifesi*, Dissert. ibid. reperiund. de pulsu amatorio.

(*e*) Si velis hujusce morbi picturam elegantem & omnibus numeris absolutam legere, Conf. aureum lib. Ill. D. *Lorry* de melancoliâ & melancholicis affectibus inscriptum.

& bile suffocari conqueritur. Ægrotæ assistens Ancilla pandit ostium ut invitus adhuc aliquamdiù maneas, interim conqueritur dolore ischiatico, aut febre vix precedenti mane suppressâ aut imminutâ, quæ per totam noctem duraverat. Mærentem à longè vides puellulum magnâ cum reverentiâ sellæ suæ appositum. Rubore quodam oculi tentatur vel alvi leviori fluxu, quibus ut mederi velis, deprecatur convalescens mater. Hùc præsto adest Consobrina quæ, præmissis aliquot elogiis, contrà hystericum aliquem affectum remedium quoddam expetit. Nonne putas totam familiam melancholicam esse factam? Tanta est hujusce affectûs vis & contagium facile! Sed herbas in proprio agro colligamus. Nemo nescit historiæ Medicinæ gnarus, ab Herodico Artis præceptore (fuit enim Præceptor Hippocratis (*f*) quem ab arte non distinguimus) ad illud quo vivimus sæculum, fere nullos fuisse Medicos melancholicis affectibus orbatos (pauci enim numero fuerunt Avicennæ). Causam citò invenies in studiorum assiduitate, pertinacitate, laboribus, sed nonne posses itidem incusare ægrorum querimonias queis assueta Medici mens sibi ipsi tribuere intendit ea omnia quibus assuescit. Et verò quià impossibile videtur Geographicam ignotæ etiam Regionis descriptionem legere, quin in mente fiat ejusdem fictitia idea; *Eneam* per terram camposque liquentes ad orcum & alia obscuriora loca mente insequi, quin eorumdem locorum & herois situ afficiatur mens, ità quando ægri querelas audimus, impressio fit ingratæ sensationis in parte nostri corporis ægri parti affectæ parallelâ (*g*). Ità in usum venit apud Medicos ille affectus ut nequaquàm dubitaverit permagnus libri illius de morbis artificum Autor (*h*), sub valetudinarii nomine melancholici (*i*) Medici encomium facere, ipsumque celebrare tamquàm aliis meliorem Theoreticum (*k*), Practicum (*l*) & scriptorem. Miratur quosdam præferre Medicum Eusarchum, Torosum, benè coloratum, Medico lubricæ valetudinis, exhausto, strigoso, coloris mustellini, quasi contrà vim morbi corporis potiùs quàm animi viribus esset pugnandum. Notat quantà comitate, quam singulari pietatis officio Medicus valetudinarius ergà suos ægros se gerat, quam facilè illos sibi obsequentes reddat: quàm libentèr illi Medicum audiant referentem quomodo ex hoc vel illo morbo emerserit. Neminem fore arbitratur qui non sentiat Medicum valetudinarium aptiorem esse ad Medicinam faciendam, ut qui non alieno sed proprio periculo edoctus, non ignarus malorum, miseris succurrere discat. Demùm illo innixus est Philosophorum Principis Edicto quod ab omni ævo tantam apud populum gratiam invenit: nempè Medicum præstantissimum evadere si ab ineunte ætate, præter discendæ artis studium apud plurimos corpore malè affectos consuetudinem habuisset, ipseque omni morborum genere laborasset. Quis, quæso, in prædictis Medicum melancholicum non agnoscit? Nec regeras nos hucusque de affectu composito egisse & melancholicorum consuetudines quæ vitantur ab om-

(*c*) Vid. Cel. *le Clerc*, Hist. de la Méd. 1. part. liv. 2. chap. 8. pag. 107.

(*d*) Talem sensationem experiri putamus medicos omnes quibus caro mollis, nervus acutior, ideòque ad illorum experientiam prædicta revocamus.

(*e*) *Bernard. Ramizzini.* Conf. ipsius orationem 14 pag. 96. & seq. contentam in lib. qui sic inscribitur *Bernard Ramazz.* opera omnia, &c. *Londini*, *in-4.* edit. 4.

(*f*) Positis ponendis, id est, servatâ utrobique eadem doctrinæ copiâ.

(*g*) Hujusce tamèn Edicti probationem nullam attulit.

(*h*) Si, inquit, in bono Medico nihil magis expetitur quàm experientia quæ vulgò rerum magistra audit... quis, precor, Medicum verè expertum eum non appellabit, qui valetudinarius sit, variis morbis obnoxius, ac reipsà & in se ipso expertus quid sit, in acutis morbis cum morte luctari, quid in chronicis ad plures menses lectulo aut sellæ affigi, in arthritide articulos contorqueri, in Rheumatismis artus convelli, in Colicâ viscera disrumpi, quam intolerandus sit aurium & oculorum dolor, quale tormenti genus calculum habere in renibus defixum, aut in vesicâ oberantem, quid sit in Gallico morbo dies, noctesque mulctari. Neque enim monstro par esset, Medicos praxi addictos videre Celticâ lûe respersos qui pro nostro ac suorum laborum honorario venereum aliquod munus reportarint; homines enim & ipsi sunt, neque humani aliquid alienum à se putant, nostrâ præsertim ætate quâ Gallicus morbus... Hæc vera est, & numeris omnibus absoluta experientia, non conjecturis aliundè petita sed scientificâ sui ipsius notione comparata, ut Medicos hujusmodi quibus alioquin consociata sit peritia & solida doctrina, hos verè experientissimos appellare liceat.

(*i*) Tres celebres Autores citat qui valetudinarii fuerunt, nempe *Prosp. Alpin. Fabric. ab aq. pend'*, *Marc. Malpigh.* Heu! quot ejusdem speciei titulis potuisset etiàm suum *Corbium* insignire si eum non præcessisset.

nibus, ſolummodò improbaviſſe. Sed nonne prædicta etiàm vera ſunt de ſimplici quolibet affectu? Mæroris aut triſtitiæ effectus & contagium reſpice. Effectus quidem omnibus noti ſunt, ſed contagium etiàm patebit ſi attendas neminem, Noſocomia, Carceres, Infelicium Cohortes refertiſſimas ſine animi dejectione conſiderare. Quis lætus ægros pervadit, viſitat & de auxiliorum numeroſo genere non conqueritur? Quis poſt prælia clades immoto animo & ſereno oculo videt etiàm Domitor aut Triumphator? In ipſius facie mihi videre videor ſucceſſivè pingi omnia omninò animi Pathemata, niſi priùs gaudium in voluptatis vehemens & continuum deſiderium, ira verò in furorem degeneraverit, aut nimius adhùc terror gelidos occupet artus. Sed prædicti mæroris aut triſtitiæ effectus adverte in corpore cui mederi cupis. Quandò à Phyſicâ in ægro diſpoſitione oriri videtur ut in chronicis morbis, nervorum atoniam, ipſorum motûs anomaliam, ſpirituum ataxiam, ſanguinis circulantis ſpiſſitudinem, lymphæ viſciditatem, obſtructionum varia genera incuſas? Nihilominùs anxietas in vehementem timorem degenerat. Huic mederi intendis vario modo, & interpoſitis illis quæ phyſicam diſpoſitionem corporeâ vi immutare vel avertere valent, qualia ſunt ægrum Rhedâ vel equo vehi, variis modis moveri, deambulare, itinerari; ludorum omne genus inſtitui jubes, numeroſum & gratum hominum cætum, cum jocoſis frequens commercium imperas: quibus auxiliis neque publicæ neque privatæ ſanitati proſpicis; publicæ, inquam, quià ob frequentes cum ægro adſtantium conſuetudines, anxietatis propagationi datur locus; privatæ, cùm aliorum voluptatibus, gaudio, ludibriis exaſperetur ægri anxietas & nullum doloribus lenocinium afferat benevalentium cætus: quin imò, ſi ità loqui fas eſt, exindè ægri etiàm inviti zelotipia oriatur aut exereſcat dùm de aliorum præſtanti valetudine congratulari videtur. Melancholiæ ergò inſtar contagioſi ſunt ſimpliciores affectus, triſtitia videlicet, timor, anxietas & plurimis modis nocere poſſunt. Quomodò ſemel incuſſus homini terror ab illo adſtantibus omnibus communicetur, ſat nimis probavere repentinæ exercituum fugæ, peſtilentis morbi ingruentis vel Epidemici cujuſcunque diurna pericula. Plures enim fatis cedunt terrore potiùs quàm morbo devicti, nec priùs ad finem vergit morbus quam terrorem incuſſum repellere & fiduciam Urbi, Provinciæ, Exercitui, &c. dare potuerint illi quibus ad alios exemplo, ſermone, autoritate ducendos meliore luto finxit præcordia Titan. Quis Medicorum ignorat ſtupendos timoris effectus in quamplurimis varioſas non expertis, quandò varioloſum vident, vel in propinquo ſtare monentur, vel ipſum variolarum nomen pronuntiari audiunt (*m*)? Tandèm ſicùt periculoſa valdè ſymptomata, quin imò tarda aut repentina mors oriunda quandòque à mærore (*n*), metû, terrore, amore, ſic gaudium (*o*), ira, furor eandem tardè aut citò accerſunt. Earum contagium æquè certum, æque timendum. Hoc enim vel unico medio illas movere ars oratoria, incendere verò novit fictionibus ſuffulta ars Poetica, Muſica diis ipſis grata, Pictoria quæ ipſum *Appellem* quandòque in errorem duxit. Vulgò tranſitoria & facilè ſuperabilia videntur eſſe quæ ab illis inducuntur ſymptomata, attamèn ità in conſuetudinem abire, ſæpiùs ſi renoventur objecta, experientia comprobat, ut vividiorem labem menti ſimùl & corpori infigant. Tanta eſt illarum artium vis & inſignis potentia ut eaſdem in mente actiones & in corpore motus excitent quos apùd heroas miramur. Jàm fortè non inficias ibis tam publicæ quàm privatæ ſanitati officere conſuetudines cum hominibus qui vehementioribus animi pathematis laborant. Sed attendas, velim, leviora quandoque non innoxia eſſe. Quis enim neſcit nos, nec jubente nec annuente, ſæpè etiàm inattentâ mente, aliorum geſtus etiàm inconditos repetere. Si frequentiùs hominem oſcitare videamus aut pandiculari, illum imitamur inadvertentes, tandemque poſt varios inconcinnos motus aut geſticulationes, utrinque nos mærore affici attendimus. Hinc ſolo nos

(*m*) Hæc tamèn dicta ſunto ſinè ullâ noſtrûm ad variolarum inoculationem, animadverſione.

(*n*) Vid. Leonh. *Fuſch.* Inſt. Med. lib. 2. ſect. 6. pag. m. 497. ubi poſt *Plinium*, mortem P. *Rutili*, *Lepidi*, *Heli* Judæorum Pontific. refert.

(*o*) Id. ibid. præ gaudio mortuos multos puſillanimes refert. Vide etiàm obſerv. de morte à gaudio inductâ apud *Struth.* Poſtn. lib. ſup. cit.

Inſtinctu quandoque agere & moveri apud omnes in confeſſo eſt. Singultus (*p*), ſternutationes (*q*) & Tuſſes epidemicas (*r*) obſervaverunt Practici, quarum cauſa cum conſiſteret in exempli ſummâ vi ex parte dantis & vividâ in Inſtinctum impreſſione ex parte recipientis, eò feliciùs adhibita fuit cura quæ in excitandâ mente verſabatur. Incuſſo enim timori non verò Phyſicis auxiliis prædictos affectus parere obſervaverunt (*ſ*).

I V.

QUEMADMODUM in peculiarem individui cujuſcunque tutelam proximiùs agit tutela publica, ſanitati etiàm privatæ favere publicam ſanitatem ſæpiùs obſervamus. Utraque verò facilè præterlabetur ſi in unum omnia non conſpirent, ſi cogantur variæ indolis homines in eadem ſocietate vivere, eadem menſâ excipi, eiſdem laboribus, officiis, ludis intereſſe & rebus amicis. Ex præmiſſis enim videre liquet quot mala proditura ſint ex miſcelâ variâ & confuſione hominum qui diverſæ ſunt indolis aut paſſionibus quibuſcunque laborant. Ulteriori, ſi neceſſe ſit, probationi ſatisfaciet ipſiuſmet naturalis hominum quoad conſuetudines propenſionis levis conſideratio. Deos ipſos ferunt varios invicem elegiſſe cætus, varia comitia. *Apollinem*, *Mercurium*, *Venerem* læta inconſtantia, *Minervam* cum triſti *Junone* prudentia, *Jovem* cum *Marte* robur & ignea potentia, ſimilia demùm officia deos ipſos ſodalitatem inire cogebant. Hic fuit quondàm à naturâ inſtitutus ordo; indèque priuſquàm libris noſtris inſcriberetur, à diis ipſis probatum fuiſſe concludimus illud axioma ſicut in phyſicis ità in moralibus verum: *quo natura vergit eò ducendum per loca convenientia* (*t*). Quamvis enim apud mortales ſua quemque trahat voluptas, nativa quædam nihilominùs adeſt propenſio quæ illos à viâ rectâ deflectentes in eandem reducit. Ità puer cum pueris, juvenis cum juvenibus, ſenex cum ſenibus conſuetudines habere deſiderant. Conſilia ille fugit, alius deſpicit, ipſa dare pueris & juvenibus ſempèr promptus amico ſeni dare timet ſenex alter. Si qua interdùm contingat inordinatio & puer cum ſene vivere amet, Studioſus cum Pædagogo, ea naturæ contraria mirari non deſinimus & de viri præpoſterâ ſorte vaticinari. Pinguis pinguem, marcidus mardidum, triſtis triſtem, infelix infelicem, jocoſus jocoſum invitus quærit, miratur, reperiiſſe congratulatur. Suæ religioni addictum hominem primo quiſque intuitu diligit, ipſique opem ferre intendit quamvis cordatior alios non deſpiciat. Intrà ipſoſmet ſenatus-Curiæ cancellos litigioſum ſolatur infelix litigioſus, ſolamen ipſe quærit ab amici vices gerente litigioſo. Ubique Viator viatores quærit & ſuæ ſortis homines. Paucos Noſtalgia afficit quicunque in diſſitâ Regione plurimos patriæ ſuæ ſocios ibidem reperiunt. Amicus amicum quærit & lætus videt. Vix coruſcantibus Auroræ radiis ebrius ebrium vocat, utrumque in commune libertatis domicilium allicit cum voluptate mutuâ juncta neceſſitas. Heu! quantùm Tytiro Mælibeus occurriſſe congratulatus eſt. Denique ſodalitatem & amicitiam nectere vel disjungere imperant eædem aut diverſæ neceſſitates & affectiones. Ultrò fortè regeres diverſi præcipuè temperamenti homines ſociari. Sed quid illa offeret ſocietas? Anne vera erit amititia? Anne talis

(*p*) Gazette de Med. no. 30. ann. 1761. menſ. Octob. D. *Demery D. M. Ambianus* refert quamdam in pago vicino Virginem ſingultu tentatam fuiſſe qui nullis paruit auxiliis, quique aliis ejuſdem loci virginibus viginti communicatus fuit. Tandem ad conſilia refugit felic. in curandis morbis Epidem. Practici & honoratiſſ. hujuſce ſcolæ Magiſtri D. *Boyer* qui prædictum affectum vocavit morbum *ab imitatione* & affirmavit ſe ſæpiùs vidiſſe oſcitationes, ſternutationes, convulſivas affectiones, quin imò Epilepſias *ab imitatione* excitatas.

(*q*) Journ. œconom. menſ. Septemb. ann. 1755. Puella ſternutatione convulſivâ tentabatur. Inceptæ ſternutationi & nondùm finitæ ſuccedebat Lethargus ſemi horæ ſpatio durans qui ſternutationis ultima parte excutiebatur, namque ab ipſo Lethargo in duas partes ſeu tempora diverſa diſtinguebatur ſternutatio. Ægrota quæ apud Parentes ſuos non degebat, domum tandem rediit, fratres ambo morbo iiſdem ſymptomatibus ſtipato tentabantur, quique ipſorum ſub eodem tecto morâ ità augeſcebat, ut coſdem ab invicem disjungere, ſi potis fuiſſet, cogitaverint Medici. Varia ſed fruſtrà tentata fuere remedia tùm evacuantia tum antiſpaſmodica à D. *Pajon de Moncets* & aliis Medicis quibus pro ſuâ benevolentiâ ergà infelicem familiam, mentem apparuit. Suppeditat ſimùl hæc hiſtoria exemplum morbi *à ſanguine*, ut aiunt, *& ab imitatione*. Primum, quià diverſis in locis ex eodem ſanguine nati, eodem morbo ſimul tentabantur; ſecundum quià ipſorum conſuetudine augeſcebat ille morbus.

(*r*) Journ. de Medecine.

(*ſ*) Vide Conſilium Prælaud D *Boyer* loc. n°. 2. cit. ſingultus ille timore excitato ſanatus fuit, & tale auxilium experientiâ duce omnibus de quibus loquitur affectibus accomodatum eſſe Perhibet autor.

(*t*) Hipp. Aph.

erit naturæ propensio ? Annè potiùs ipsi vim facere illud est ? Eædem propemodùm functiones, eadem officia, quandoque mutua necessitas societatem nectunt eo duraturam quousque hæc omnia cessent. Litterarum amator sæpè sociorum æmulus, invidiosus, zelotipus, non tamèn cum rudi & illitterato etiàm admiratore sodalitatem inire amat. Biliosus melancholici dotes miratur, Sanguineus pituitosi, amicitiam tamèn saltèm validam denegat. Atrabilarius sui ipsius amator quandoque post impetuosum delectum, illos odit quos anteà dilexerat, quique ipsum fugiunt & vitare sempèr conantur. Propria cuique conditioni diceres annexa esse vitia quæ consuetudinum delectum valdè necessarium esse manifestè declarant. Sæpe sæpiùs Magnates videbis Plebeos fieri, quandoque animi demissionem erubescentes illiusque memores dennò sublimi ferire sidera vertice. Plebei sæpiùs repentes, Ichareis quandoque alis nubes scandunt & parem cum illo fortiti fortunam in syllam decidunt. Tu verò in æqualem illorum cursum insequi coactus, carybdim saltèm vitare minimè vales & easdem sive morales sive physicas mutationes pati simùl cogeris. Senatorum gravitas & placida vita cum illâ Militum-Ducum vix coincidit. His omnibus addictus nùnc Justinianum nùnc Cæsarem te fortè esse putabis, quod malum non ingens modò nimis non feriatur imaginatio, sed cave ne studiorum assiduitatis comes mæror aut fatuus armorum ardor, quæ vitia communicativa sunt, etiàm labem quamdam sanitati inferant. Litteratorum & Philosophorum genus omne suam habet in vivendo normam, quin imò præstantiam, cave tamèn ne faciliùs communicandâ superbiâ aliquandò lymphatus sis. Liberalium artium Cultores alios miraris. Præstò erit Medicus. Modò sit ille præclaris imbutus dotibus quas summus commendat Medicinæ Princeps, quià naturæ phœnomena pauca ipsum fugiunt, variâ doctrinâ placebit, quin imò juvabit. Illum tamen elige qui faciem, gestus, aliaque externa ita componere didicerit, ut an plus artis dignitati quam societatis voluptati tribuat, vix possis distinguere : utriusque enim illum numquàm immemorem esse decet. Poetas, Pictores, Musicos, Statuarios, Comicos, prudenter devita. Horum enim consuetudine primùm afficiuntur sensus, ad cor usque sensim progrediuntur affectiones, moralê in Physicum commutatur malum. Prædictarum artium potentiam suis sponsis quondàm nimiùm placere adverterunt Mariti plures Græci & Romani hoc ipso facti celebres (*a*). Athletas enim, saltatores, Comicos torosos, vividis lacertis præstantes, fato, nescio, quo vel mirâ illorum arte occæcatæ amabant (*b*). In quibusdam artibus Inventores queis statuas æneas vulgò faciebat prisca gens mortalium, mirare, lauda, (thuris enim non fumum sed ipsamet incendia amabant Dii, mortalibus aliquid tribue) illos tamen sæpius devita. Sunt enim suis juventionibus ità addicti, ut totum orbem sibi videre videantur circà illas veluti circà centrum girare & omnia ad punctum illud saliens referant naturæ phœnomena cum societatis voluptatibus confusa. Vitia prædicta si perpendas, ultrò concipies consuetudinum delectum ubique necessarium esse ne ex contagio tantùm de valetudine amittatur quantùm de virtutibus depromitur. Sed fortè quià est modus in rebus quæres quænam tibi conducat societatis respectu vivendi norma ? Lubenter pro commensali societate documenta aliquot dabimus, quæ si post ea quæ præmisimus, omni societati, ludis & rebus amicis applicare velis, tota res peracta erit. Itaque delectum & quandoque numerosum cætum in prandio & cænâ admitte, numerosiorem fuge. Inæqualis aut saltèm plurimùm dissitæ conditionis Convictores devita. Illos fuge quibus magna debetur reverentia & quibuscùm amicitiam inire piaculum est. Illos præterea fuge quos propè te ducit politicus error, nisi avaritiæ, ambitionis, gloriæ, ærumnosa denique omnium ferè malorum caterva tibi placeat, & tuis ipsismet nativis propensionibus inconditâ hacce viâ mederi posse probè scias. Dùm enim intenditur animus variis pathematis occæcatus, destruuntur omnes corporis functiones, ventriculi præcipuè & cordis quas omnium aliarum authores & rectores esse jamdudùm novere Physiologi. Illa solùm intenduntur organa quorum vim requirunt loci momentum

(*a*) Norunt omnes quid de illis dixerit *Juvenal* in Saty. & insanos sapientis nimis Catonis clamores queis frustrà aliquot ab hinc annis alios addidit J. J. *Rousseau*. Sapientissimus omnium habebatur Socrates & tamen Musicam & Comædiam diligebat.

(*b*) Histrionem amabat illa Romana mulier de quâ loquitur Galen. lib. ad Posthumum, ubi postquam se totum dedit in inquirendo pulsu amatorio, tandem nullum dari asseruit contrà Erasistratum.

& occasio præceps, alia verò imminutâ sensim mobilitate languent. Hinc labem permagnam sentit omne digestionis opus, ipsæmet animi præclaræ dotes, virtutesque sopitæ diù jacent tandem perituræ, nec alia in mente remanent vestigia nisi ea quæ fida & condita à puero educatio ipsimet menti infixit, quæque interdùm tenax memoria vi refricat. Pejori prædictâ vitæ conditione, dùm facilis fit virtutum in vitia commeatus & orbatur mens, pravas affectiones etiàm corporeas sensim ab aliis in nos irrepere persentiunt amici, lugent & talem nos ipsos immutationem non avertere mirantur quam tot alii percipiunt. Si prædictos cœtus quandoque te frequentare fata velint, alia omnia præter sensilem stomachum depone organa, vel illorum labores remitti finas, quousque auxiliatrice vi egeat stomachus ad perficiendum digestionis opus, eaque ut in scenam redeant, vividiùs expetat.

V.

EJUSDEM ergò, aut minimùm distinctæ indolis, officii, conditionis homines consuetudinibus inter se uniantur: Magnates nempè cum Magnatibus, Plebei cum Plebeis, diversorum Terræ tractuum Incolæ cum sociis. Senatores cum Senatoribus, Militum-Duces cum Ducibus, Litterati cum Litteratis, Philosophi cum Philosophis degant. Prædictâ opinione innixi, non possumus non mirari infimùl & probare tametsi facetè propositum ordinem quo mirè distribuebantur à Cel. *Adissone* (*a*) Londinenses omnes in plura comitia, ità ut cuicumque licitum foret eam eligere societatem quæ propensionibus ejus magis arridebat. Experientiâ jamdudùm compertum est augeri animi pathemata quandò vires contrarias sibi invicem opponunt; deleri quando in unum conspirant; sibi auxiliatrices præbere manus ut commune suum objectum removeant, quandò invicem uniuntur, ità ut extrema tùnc numquàm timenda veniant. Ità Melancholicum Melancholici visû sublevari videmus, ipsius verò dolores benevalentis adventû exasperari. Tam verum illud, *si vis me flere dolendum est ipsi tibi* (*b*). Ità mulieris ira mariti patientiâ augetur. Cur ergò tantam in consuetudinibus diversitatem & frequentiam hominum variæ indolis desideras? Sed fortè dices 1°. me totum improbare in orbe institutum ab omni ævo ordinem, plerumque nos magis necessitate quàm delectû, propensione aut naturâ duci. Quid inde? Vitia perpendere ausus sum, cuique pronum est eorum monstra devitare. Ad argumentum à durâ quæ cogit nos necessitate depromptum, quod attinet; lubentèr deflectam tecum ad vulgare adagium: *Quandò Romæ eris Romano vivito more*, modò probe scias te Romæ vivere *taliter qualiter*, & prædictam vivendi normam neque publicæ, neque privatæ saluti conducere. Dices 2°. cum mutuum esse confirmaverimus animi affectuum contagium, tantùm debere necessariò utilitatis ad sanandum morbum ægro accedere quantùm ipse in eos quos ad medelam elegeris, possit veneni refundere. Et fateor equidem nec, si volueris, aliquantò etiàm amplius denegarem, cum à pluribus accederet solatium, si contrariis affectibus posset curari morbus sed probavimus. 1°. Aliquid ex tentatâ curatione semper aliis periculi impendere. 2°. Exinde ægri etiàm inviti zelotipiam crescere. 3°. Non nisi affinibus pathematis curari posse, cum illorum actio pendeat à persuasione quam inducit exempli vis, minimè vero ars omnis oratoria prædicto auxilio orbata. Satis sit tot exempla attulisse, nulla prædictis videre contraria & vitiorum etiam levissimorum perspicere contagiosam propagationem. In immensum enim cresceret opus si avaritiæ, superbiæ, &c. contagiosam vellem propagationem perpendere. Sed si præmissa sufficiant, tandem concludere liceat.

(*a*) Le Spectateur Anglois.

(*b*) Horat. Flacc.

Ergò sicut ad morum integritatem ità ad sanitatem conservandam consuetudinum abusus noxius.

Proponebat Parisiis BERTRANDUS DUPUY, Arreensis in Valle Aurensi, Diœcesis Convenarum, in Universitate Tolosana Doctor Medicus, & Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor. A. R. S. H. 1767.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univers. & Facult. Med. Parisiensis, Typographi.